

juvenum fortunati videbantur. Nec ulli bonarum artium magistri non beati putandi, quamvis consenuerint vires, atque defecerint; esti ista ipsa defectio virium, adolescentiae vitiis efficitur saepius, quam senectutis. Libidinosa etenim et intemperans adolescentia effoetum corpus tradit senectuti. Cyrus quidem apud Xenophontem eo sermone, quem moriens habuit, cum admodum senex esset, negat se umquam sensitse, senectutem suam imbecilliozem factam, quam adolescentia fuisset. Ego L. Metellum memini puer, (qui cum quadriennio post alterum consulatum pontifex maximus factus esset, viginti et duos annos ei sacerdotio praefuit) ita bonis esse viribus extremo tempore aetatis, ut adolescentiam non requireret. Nihil necesse est mihi de me ipso dicere: quamquam est id quidem senile, aetatique nostrae conceditur.

X. Videtisne, ut apud Homerum saepissime Nestor de virtutibus suis praedicet? Jam enim tertiam aetatem hominum vivebat: nec erat ei verendum, ne vera de se praedicans, nimis videretur aut insolens, aut loquax. Etenim (ut ait Homerus) ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio: quam ad suavitatem nullis egebat corporis viribus; et tamen dux ille Graeciae nusquam optat, ut Ajacis similes habeat decem, at ut Nestoris: quod si acciderit, non dubitat, quin brevi Troja sit peritura. Sed redeo ad me: quartum annum ago et octogesimum. Equidem posse vellem idem gloriari, quod Cyrus: sed tamen hoc queo dicere, non me quidem iis esse viribus, quibus aut miles bello Punico, aut quaestor eodem bello, aut consul in Hispania fuerim, aut quadriennio post, cum tribunus militum depugnavi apud Thermopylas, Man. Acilio Glabrione consule. Sed tamen (ut vos videtis) non plane me enervavit, nec afflixit senectus: non curia vires meas desiderat, non rostra, non amici, non clientes, non hospites. Nec enim umquam sum assensus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet, mature fieri senem, si diu velis esse senex. Ego vero me minus diu senem esse malle,